



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Absaloni Lvnden. Archiepiscopo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

servare integras, & pro loco & tempore, in quibus licuerit, augmentare.
Nulli ergo &c. Datum Perusij, XV. Kal. Octobris.

ABSALONI LVNDEN.
Archiepiscopo.

Epif. 372.
De bonorum
quoniam
pzeliter
ca-
stiti Hafij
do-
natione.

F Ratres & coëpiscopos nostros, tam propinquos, quam longè positos, sincera tenemur caritate diligere, ipsosque in his quæ justè requirunt, libenter & efficaciter exaudire. Eapropter, venerabilis in Christo frater, tuis justis pre-cibus clementer annuimus, & ad exemplar fe. record. Urbani Papæ prædecessoris nostri castrum de Hafij, quod illustris memoriae Waldem. olim Rex Dacie tuæ fraternitati contulit, & tu tali conditione interposita Rostkilden. Ecclesiæ pia consideratione dedisti, ut ipsum debetas quoad vixeris detinere, post decesum tuum ad Ecclesiam ipsam liberè devoluendum, sub jamdiæ conditione tenore, sicut ipsum justè & sine controversia possides, cum omnibus pertinentiis suis, auctoritate tibi apostolica confirmamus, & præsentis scripti pagina communimus. videlicet villam ipsam de Hafij, mansionem de Otherslef cum omnibus pertinentiis suis, scilicet Sersfel, Solbiarge, Huanlolde, Wigislef, Walbu, mansum unum Brunsoge, Imbrethorp, mansiones de Gesnetofte & de Murhoge cum omnibus pertinentiis earum, mansiones de Barsuerthe & de Wigurm cum omnibus pertinentiis earum, mansiones de Husfretop & de Haverthi cum omnibus pertinentiis earum, mansiones de Burgbu & de Hiartharum cum omnibus pertinentiis earum, & universam partem earum quæ acquisivit Nicolaus Castellanus tuus, juxta tenorem pacti quod inter vos convenit. Nulli ergo &c. Datum Perusij, X. Kal. Octob.

PETRO ARVSIEN. EPISCOPO.

Epif. 373.
Confirmat sta-
tutum de sex
præbendarum
institutione.

Officij nostri debitum & caritas ordinata requirit ut quæ à fratribus & coëpiscopis nostris acta laudabili-ter fuerint, auctoritatis nostræ præsidio inconclusam obtinant firmitatem & plenam in futuro agendi fiduciam tribuant potiora. Sicut autem ex parte tua, venerabilis in Christo frater, nostris est auribus intimatum, de bonis patrimonialibus, & aliis quæ rationabiliter acquisisti, ac de his quæ commissa tibi Ecclesia

priùs habuerat, sex præbendas providè statuisti Canonicis assignandas, qui ei-dem Ecclesiæ debeat deservire. Nos ergo statutum ipsum dignis in Domino laudibus commandantes, ut firmiter omnibus futuris temporibus observetur, prout circumspetè & providè factum est, & in authentico scripto venerabilis fratris nostri Absalonis Lunden. Archiepiscopi expressius continetur, auctoritate apostolica confirmamus. Nulli ergo &c. Datum Perusij, VI. Kalend. Octobris.

VPSALEN. ELECTO.

Recepis tam dilectorum filiorum Capituli Vpsalen. Ecclesiæ literis, quam plurium aliorum, qui pro Pallij datione apud nos vehementer instabant, de tua fuimus promotione gavisi. Qui sperantes in Domino quodd eo adjuvante commissæ tibi administrationis officiū debebas salubriter exercere, ad augmentandum tuæ dignitatis honorem, quem in susceptione Pallij es cum potestatis plenitudine suscepturus, prompto favore libenter intendimus ad instatiām dilectorum filiorum Thobiæ nuntij venerabilis fratris nostri Lunden. Archiepiscopi & Walterij nuntij tui, petitioribus prædictorum clementiis annuentes. Vnde nos ipsum de beati Petri corpore sumptum, plenitudinem videlicet pontificalis officij, tibi transmittimus, ut tibi per venerabilem fratrem nostrum Lunden. Archiepiscopum vice nostra, sub ea forma juramenti quam expressam ei sub Bulla nostra transmittimus, assignetur. Tu verò, tanquam vir providus & discretus, illud de manibus ejusdem Archiepiscopi juxta formam prædictam cum omni devotione suscipiens, eo in festis diebus & aliis temporibus quæ in Ecclesiæ tuæ privilegiis exprimuntur, utaris; ita videlicet ut ex tanta culmine dignitatis spiritum tibi superbia non asumas; sed quanto fueris præminentior dignitate, tanto juxta illius magistri exemplum qui eum qui major inter discipulos suos erat fieri voluit minorem, ministrari non veniens, sed causa humilitatis aliis ministrare, te omnibus humiliorem exhibeas, te potius exaltandum humilitate seiturus. Misericordia quæ operibus jugiter te præstes inten-tum, quæ beatos efficit suos sectatores, eosdem evangelica Veritate consecutu-

Epif. 374:
Qualiter Pallij
estendum sit.

E e iij